SYNODUS DIOECESANA

SANCTÆ BENEVENTANÆ ECCLESIÆ

Ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino


JOANNE BAPTISTA

MISERATIONE DIVINA TIT. S. PANCRATII
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

BUSSI

ARCHIEPISCOPO

Celebrata juxta antiquum ejusdem Ecclesiae morem
Die 24 Augusti 1836.



BENEVENTI MDCCCXXXVII.

Apud Petrum Paulum Paternò Typographum Cameralem.

JOANNES BAPTISTA

MISERATIONE DIVINA

TIT. S. PANCRATII S. R. E. PRESBYTER

CARDINALIS BUSSI

S. METROPOLITANÆ ECCLESIÆ BENEVENTANÆ

ARCHIEPISCOPUS

Decretum de Synodi aperitione.

ı Nomine Sanctissimae, et Individuae 'rinitatis, Patris, et Filii et Spiritus Sancti Amen.

Res magni momenti diuturniorem mo ·am nobis attulit in præterito cursu S. Visitationis. Campiis enim Lyciensis dioecesis medio circiter ævo elapsi sæculi Pater Pompilius Maria Pirrotta Sacerdos Professus Ordinis Regularis Pauperum Matris Dei scholarum Piarum in pace requievit cum fama

virtutum, et odore sanctitatis. Ortus is erat Oppido Montiscalvi e familia Pirrotta spectabili divitiis ac pietate: Cum ejus beatificationis et canonizationis causa apud Apostolicam Sedem promoveatur studio sui Regularis Ordinis; necesse fuit in Servi Dei natali solo super virtutibus ac fama miraculorum et sanctitatis jure ordinario inquirere per Nosmetipsos, ut morem gereremus placitis S. Congregationis Rituum. Gravem quidem ætati nostræ æstivis præsertim temporibus, sed ordini Ecclesiastico et Beneventano Clero valde honorificum laborem suscepimus, ac Dei auxilio adjuti ad exitum perduximus; nam die sexta currentis mensis augusti Processus absolutus apertus, et publicatus est.

Vita, virtutes, et miracula P. Pompilii Mariæ Pirrotta non adhuc sedis Apostolicæ examini proposita sunt, et idcirco nondum pontificiis oraculis probata; ut videtur tamen, servus Dei a pueritia didicerat, et alios, cum esset adhuc adolescentulus, docebat, nullum magnum præjudicium, quam a Sacerdotibus, tolerare Deum. Hinc suscepto vix habitu clericali cucurrit ut gigas viam arduarum virtutum sui ministerii;

divina mandata semper custodivit, et nihil magis timuit, quam culpa vel minima sese maculare, aut puritatis lilium illibatum non servare Summo Sacerdoti Christo Jesu. Sæpissime illa salutaria verba usurpans; *oportet hanc carnem domare, quae brevi erit esca, et pabulum vermium*, corpus suum castigabat, et in servitutem redigebat inediis, vigiliis, et aliis generibus mortificationum. Solis et paucissimis leguminibus vescebatur nullo condimento affectis; somnum vero supra nudam tabulam stratus brevi carpebat. Incessu, ut animo, dimissus ac modestus, zelo pro Dei honore et animarum salute flagrans; paulo antequam acciperet coronam vitæ, devotionem tunc progredientem erga Sacrum Cor Jesu in patria promovit. Hic præterire nolumus illud admiratione dignum, et communiter non sine Dei præordinato consilio reputatum, quod prima solemnis actio Processus Servi Dei haberetur recurrente die festo Sacri Cordis Jesu: disquisitio autem Testium fieret in ea Ecclesia, ubi noctes insomnes transigebat Pater Pompilius ad suffragandum animabus in purgatorio degentibus.

Tam lucidum virtutis speculum animos et calcaria addat nostro Clero, ad quem originis gratia Servus Dei pertinet. Eadem repleti fide et charitate Presbyteri totis viribus se exerceant in alios excitando efficacibus verbis ad exequenda divina mandata. Exemplo bonorum operum magis magisque mentibus ingerant catholica dogmata. Studium et praecipuam sollicitudinem adhibeant in arcenda seductione futilium doctrinarum, ita ut seductores vel non amplius Christi gregem depravent, vel ab illusionibus, quod maxime optandum, resipiscant.

Sed qui sustinet Deum, non confundetur; quoniam Servi Dei supernaturalibus signis et prodigiis glorificantur in vita et post mortem. Non paucorum fert opinio, Servum Dei P. Pompilium prophetiæ spiritu, gratia locutionis, ciborum ac vestium multiplicationis, et caeterorum miraculorum fuisse donatum. Verum de his beneficiis singularibus P. Pompilii Sedes Apostolica, ut praemonuimus, nondum judicium tulit: quae de illo perstringimus, fama tantum vulgavit; haec vero tam gravibus innixa momentis est, ut parati simus instan-

ter petere a Sanctissimo Domino Nostro Papa Gregorio XVI. gratiam admissionis causae beatificationis, et canonizationis ejusdem Servi Dei. Perpendite, Venerab. Fratres expositum mentis nostrae arcanum, et opem ferte consilio, ac orationibus ad Deum Optimum Maximum qui solus clarificat Sanctos. Hujusmodi ob rationem de vita et fama Sanctitatis ac miraculorum Servi Dei P. Pompilii Mariae Pirrotta Scholarum Piarum sermonem praemisimus in hac undecima Synodo, quam statuta die 24 Augusti ad Omnipotentis Dei et Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, Beatissimae Deiparae, S. Michaelis Arcangeli, B. Ap. Bartholomaei, SS. Pontific. Nostrorum, Januarii, et Barbati, SS. Dominici, et Philippi Nerii Confessorum, coeterorumque nostrae Civitatis Sanctorum Patronorom, aliorumque Sanctorum gloriam, honorem, et laudem apertam esse, atque inceptam volumus, decernimus, ac promulgamus.

TITULUS PRIMUS

De confirmatione Synodorum usque modo celebratarum.

Dioecesanas Synodos per Nos, et a prædecessoribus nostris sancte et salubriter celebratas, pro ea tamen parte, quae his decretis non repugnet, confirmamus, et ab omnibus, ad quos spectat observari mandamus sub poenis in illis statutis et comminatis.

TITULUS SECUNDUS

De Festorum Celebratione

Per Curiam Archiepiscopalem patefactæ jam sunt litteræ in forma Brevis Romæ expeditæ sub die 3o. præteriti Decembris, quibus Sanctissimus Dominus Noster Gregorius Papa XVI. toti Utriusque Siciliae Regno concessit, diem secundam Julii Dei genitrici, cui a gratiis nomen, jam sacram inter solemnes de praecepto recenseri. Omnes igitur Christifideles utriusque Siciliae Regni

præfata die non solum sacrum audiendi obligatione tenentur, verum etiam ab operibus servilibus omnino vacare debent.

Rectores autem Ecclesiarum, dum populo, uti solet fieri, diem festum Deiparæ Virginis titulo Gratiarum annuntient, ipsum hortentur, ut magis devote, ac suppliciter eo die exoret Augustissimam Cœli Reginam; quæ sicut cunctas semper profligavit hæreses, et pro Christiano populo apud Unigenitum Filium suum intercedere nunquam desinit, ita in tot ac tantis, quibus idem populus premitur angustiis, benigno eum vultu respicere, ac potentissima sua ope juvare dignetur. Excitent insuper populum ad gratias agendas Beatissimæ Dei Genitrici, cujus præsentissimum præsidium in tantis rerum perturbationibus semper præsensit Regia Familia cum populo sub ditione feliciter constituto. Ipsam demum Beatam Virginem Mariam fideles omnes orent, et obtestentur pro jugi tutela ac defensione tum pientissimi Regis Illustris Regiæque totius Familiæ, tum populi ejus religioni atque providentiæ a Deo concrediti. Hanc communem grati animi significationem ac fiduciam ergam Matrem Dei Ma-

riam esse magnopere acceptam Romano Pontifici, et Utriusque Siciliæ Regi scatet ex supra enunciato Brevi, et Regii Administri litteris circularibus diei 26 Januarii currentis anni.

Nemo autem erit, qui religiose non obsequetur voluntati expressæ in Ecclesiæ bonum, et civilis societatis.

TITULUS TERTIUS

De Usuris

Opus, cui titulus ,, *le usure* ,, typis vulgatum anno 1831, et in tres libros distributum aliter alias prolata opinamenta, non omnes usuras esse illicitas, e cineribus excitavit. Liber Romæ editus, et pariter sine nomine auctoris inscriptus ,, *Osservazioni pacifiche sopra d' un opera intitolata » le Usure «* , comprobat non paucas operis propositiones futilibus, infirmisque rationibus inniti. Multa praeterea asseruntur identidem per variarum opinionum asseclas non conformia et aliquando etiam contraria doctrinae Sanctorum Patrum, et Ecclesiae placitis: unusquisque idcirco, praesertim

confessarii ad praecavendos scopulos in re tam periculosa prae manibus habeant, et diligenter addiscant quid declaratum, definitumque est circa usuras in Encyclica ,, *Vix pervenit* ,, Benedicti XIV S. M. diei 1 Novembris anni 1745.

Non lateat imprimis, *usurae labem, ac vitium*, ut tradit citata Encycl., *a divinis litteris vehementer improbari*, illudque varias formas, atque species induere, quibus fideles Christi sese decipiunt, et in extremam ruinam precipites impelluntur.

Non est pariter revocandum in dubium, quin labes usurae contrahatur, *sive lucrum non excedens et nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit, vel is a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas vel novis coemendis praediis, vel quaestuosis agitandis negotiis utilissime sit impensurus*.

Item ex eadem Encyclica longe aberrat a veritate, qui retinet, reperiri semper ac præsto ubique esse vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel contractus alios justos, quo-

rum praesidio liceat semper actuarium moderatum ultra sortem integram salvamque recipere. Unusquisque præterea animadvertat; licitum non esse contra id quod declaratum definitumque est in repetita Encyclica litteris aut sermonibus docere, et eum, qui parere detrectet, obnoxium et subjectum esse *poenis per Sacros Canones in eos propositis, qui mandata Apostolica contempserint atque violaverint.*

Neque ut licitae reputandae sunt usurae, quamvis longissimo temporis cursu frequenter a multis, et in omnibus fere locis cum foenore paecunia mutua detur. Quod enim per se injustum et illicitum est, nulla actuum frequentia longissimo etiam temporis spatio confirmata præscribi, atque licitum reddi potest. Insanum profecto esset, autumare divinorum oraculorum auctoritatem infringi posse, vel crimina amittere intrinsecam naturam mali, quia haec committere, illa frequenter impetere ubique locorum, nunquam destitit hominum malitia. Cum sane usuræ uti licitae communiter aliquando exercerentur, Ecclesia non idcirco labem passa est silentio progredi: sed eo severioribus pænis,

quo vitium sese dilataverat, in usurarios inveli censuit, privando illos altaris communione, et Christiana sepultura. *Quia in omnibus*, sic cap. 3. de usuris, *fere locis ita crimen usurarum invaluit, ut multi (aliis negotiis praetermissis) quasi licitæ usuras exerceant, et qualiter utriusque Testamenti pagina condemnetur, nequaquam attendant : Ideoque constituimus, quod usurarii manifesti nec ad communionem admittantur altaris, nec christianam (si in hoc peccato decesserint) accipiant sepulturam, sed nec oblationes eorum quisquam recipiat* ».

Pro opportunitate Parrochi et Confessarii eos, qui velint pecuniam collocare, moneant, ut ante a viris doctis et probatae conscientiae consilium petant. Ii vero, quorum votum exquiritur, caveant a responsis ferendis, nisi prius accurate perpenderint suas vires et scientiam ; in extricandis quippe quaestionibus de usuris haud exiguam Sacrae Theologiae et Canonum scientiam requiri tradit praelaudata Encyclica. Ad judicium solidius firmandum, atque utiliter reddendum juxta acceptam Patrum doctrinam, et Ecclesiae praescriptum non pa-

rum confert repetita lectio libri Romae editi superius recensiti.

TITULUS QUARTUS

De iis quae ad universas Constitutiones pertinent.

Omnes ad quos spectat, pro ea parte, quae singulos tangit, praecipimus ut suam quisque obligationem agnoscat, praecipue Canonici, et alii de nostro Capitulo, vel Collegiatarum Ecclesiarum, et Parochi et Archipresbyteri, et Beneficia obtinentes, omnesque etiam Clerici pro eo quod ad vitam et honestatem Clericorum pertinent, infra mensem, postquam impressa fuerit haec nostra Synodus, ejus exemplm penes se habere teneantur sub pœna arbitrio nostro infligenda. Mandamus praeterea, ut in qualibet conferentia casuum conscientiae, et SS. Rituum habenda in singulis locis Diœcesis juxta Synodales Constitutiones, legatur et explicetur per Praefectum dictarum conferentiarum unus saltem titulus tam hu-